



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. IV. Solvuntur objectiones ex testimoniis Scripturæ & SS. Patrum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

quia eorum gratia, erat gratia derivata à Christo, & ideo non debebat prius consummari in membris, quam in capite à quo derivabatur.

79. Respondet Suarez, negando paritatem, & assignando rationem discriminis, ex eo quod ut homines introducerentur in gloriam, debebat expectari perfecta satisfactio pro peccatis hominum, quæ non fuit Deo exhibita, nisi in passione & morte Christi: hoc autem non habet locum in Angelis, cum enim non peccassent, non indigebant sanctificatione Christi, ut introducerentur in gloriam.

80. Sed contra: Juxta hunc Authorem, tam dependens erat gloria Angelorum à meritis Christi, quam gloria hominum à satisfactioe Christi: Sed propter dependentiam gloriæ hominum à perfecta Christi satisfactioe, per mortem consummata, non poterant homines intrare in gloriam, nisi post exhibitam talem satisfactioem: Ergo similiter ob dependentiam gloriæ Angelorum à meritis Christi consummatis, non poterant Angeli introduci in gloriam, ante prædictam consummationem meritorum, vel si sufficerent merita Christi, ut prævisa, ad hoc ut Angeli glorificarentur, sufficiebat etiam satisfactio Christi ut prævisa, ad hoc ut homines glorificarentur.

81. Ex dictis confutata manet sententia Vincentij Asturicensis & Cipulli: si enim Angeli non habuerunt gratiam & gloriam essentialem ex meritis Christi, ut jam ostendimus, eam non obtinuerunt duplici titulo, ut illi Authores asserunt, sed uno tantum, nimirum gratuite donationis & pure liberalitatis.

Addo quod, supposita in Deo antecederet ad decretum Incarnationis, voluntate efficaci dandi gratiam & gloriam essentialem Angelis ex mera liberalitate, gratis omnino & inutiliter statuitur in illo, consequenter ad tale decretum, nova alia voluntas dandi eandem gratiam & gloriam Angelis intuitu meritorum Christi. Quæro enim cui bono nova ista & secunda voluntas? Non bono ipsorum Angelorum, quandoquidem nihil amplius ex vi illius habent de gratia & gloria essentiali, quam ex vi voluntatis antecedentis prævisionem Christi. Non bono etiam gloriæ ipsius Christi, utpote cum non faciat Angelos ab ipso dependere, nisi pro titulo, sine ulla prorsus re; siquidem quod Angeli habeant ex merito Christi illud idem quod haberent, licet non esset tale meritum, titularem solum facit dependentiam ab eo, non verò realem. Unde sicut si homines aliunde quam per Christum fuissent iustificati, gratis pro illis mortuus fuisset Christus, ut habet Apostolus ad Galatas 2. dicens. *Si enim per legem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Ita similiter, si aliunde Angelis iustitia, quam per Christum, videlicet (ut concedunt prædicti Authores) ex mera Dei liberalitate, gratis pro illis meruit Christus.

§. IV.

Solvuntur objectiones ex testimonijs Scripturæ & SS. Patrum.

82. **O**bjiciunt in primis Adversarij quædam Scripturæ testimonia, quibus significari videtur, Christum non solum hominibus, sed etiam Angelis gratiam & gloriam essentialem meruisse: dicitur enim ad Ephes. 1. proposuisse Deum in Christo *instaurare omnia quæ in cælis sunt & quæ*

in terra. Et ad Coloss. 1. idem Apostolus asserit Christum *pacificare per sanguinem crucis suæ sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Item Joan. 14. Christus dicebat: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Denique Apocal. 12. dicitur de Angelis, quod *vicerunt eum* (scilicet Diabolum) *per sanguinem agni.* Si autem Angelorum victoria adscribenda sit sanguini Christi, sequitur eos ex Christi meritis habuisse perseverantiam quæ vicerunt draconem, seu diabolum, ac proinde reliqua auxilia gratiæ, & gloriam essentialem.

Confirmatur: Apostolus ad Roman. 5. loquens de gratia Christi ut hominis, eaque essentiali, dicit quod hæc *abundavit in plures*, quam delictum unius Adam: Sed non in plures homines, peccatum enim Adæ omnes homines infecit: Ergo in homines simul & in Angelos, subindeque Angelis meruit Christus gratiam & gloriam essentialem.

Confirmatur amplius: Ad Hebræos 2. dicitur quod *decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorum per passionem consummari.* Ubi Apostolus loquitur de Christo, supponitque ipsum ante suam passionem multos in gloriam adduxisse, qui quidem esse debuerunt Angeli, quia priusquam Christus pateretur, nullus hominum intravit cælum: Ergo supponit Christum gloriam essentialem Angelis meruisse.

Ad objectionem respondeo illum locum Epistolæ ad Ephesios sic intelligi & exponi à D. Thoma ibidem lect. 3. *Per Christum instaurari omnia quæ in cælis sunt, id est Angelos, non quod pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo hominem reintegratur ruina Angelorum:* Psal. 109. *implevit ruinas.* Similiter ad alium locum Epistolæ ad Colossenses, respondet idem S. Doctor ibidem lect. 5. verba illa esse intelligenda de concordia inter Deum & homines, quam Christus Dominus per mortem suam operatus est. Etenim inter Deum & hominem causa discordiæ fuit peccatum, & inter Judæos & Gentiles lex: quia ergo Christus per crucem destruxit peccatum, & implevit legem, causam removit discordiæ, & hoc modo pacificavit sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt, juxta illud ad Ephes. 2. *Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum.*

Ad locum ex Joan. 14. respondetur ex eodem Angelico Præceptore ibidem lect. 2. sensum horum verborum esse, neminem posse venire ad notitiam Patris, nisi per Verbum suum, quod est filius; cum hoc tamen discrimine, quod homines non veniunt ad notitiam Patris, nisi per Verbum carne velatum, Angeli verò cognoscunt Patrem per Filium, seu Verbum, ut est Deus, & in natura divina subsistit; eaque notitiâ beatificantur, & veluti nutriuntur & saginantur, ut bellissime declarat Augustinus concione 1. in Psal. 13. his verbis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant superna virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant & saginantur. Quis autem homo posset ad illum cibum? unde cor iam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret. & ad parvulos perveniret. Cibus in lac non convertitur, nisi per carnem trahatur, nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans, sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ideo ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mammillæ & lactis succum, de ipso pane*

pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pascit nos sapientia Dei? quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo, ut scriptum est.

37. Ad locum Apocalypsis dico quod quamvis ante verba citata narretur praelium Angelorum, in illis tamen non loquitur Joannes de Angelis, sed de hominibus, ut patet ex ipso contextu: post narratum enim praelium Angelorum cum diabolo, subditur: *Profectus est accusator fratrum nostrorum, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Ubi manifestum est, D. Joannem non loqui de Angelis, utpote animas non habentibus.

38. Ad primam confirmationem desumptam ex verbis Apostoli ad Roman. 5. respondeo cum D. Thoma ibi lect. 5. quod cum Apostolus dixit gratiam Christi abundare in plures, quam delictum Adæ, ly *plures*, secundum expositionem Augustini, non sumitur ibi comparative, sed absolute; ita ut idem valeat ac multi. Secundum autem D. Ambrosium, quamvis sumatur comparative, nihil contra nos, quia ut rectè advertit D. Thomas, non sumit Ambrosius delictum Adæ pro delicto originali propagato in omnes homines, sed pro speciali delicto idololatricæ, quod non per propagationem, sed per imitationem descendit ab Adam in posteros, quod sanè delictum cum abundaverit quidem in multos, non tamen in omnes homines, verum est dicere, quod gratia Christi abundavit in plures homines, quandoquidem non solum pro infidelibus, sed etiam pro peccatis fidelium mortuus est.

39. Ad secundam confirmationem ex verbis Epistolæ ad Hebræos petitam, respondeo cum S. Thoma ibidem lect. 3. ly *multos filios in gloriam adduxerat*, intelligendum esse non de Angelis, sed de hominibus, sensumque horum verborum esse, quod multos filios in gloriam adducere decreverat, vel jam adduxerat quoad intentionem & decretum; unde S. Doctor hæc verba exponens ait: *Qui adduxerat, id est adducendos præordinaverat.* Quod si aliquis hæc verba Apostoli explicare velit de adductione ad gloriam in executione, dicere poterit, ibi verbum præteriti poni pro verbo futuri; multoties enim in sacris litteris, propter certitudinem prophetiæ, aut eventus futuri, id quod re vera erat futurum, significatur per modum præteriti, sicut Isaiæ 9. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.*

40. Obijciuntur secundo quædam SS. Patrum testimonia, quæ favere videntur Adversariorum sententiæ: Bernardus enim serm. 22. super Cantica sic habet: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens; & hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.* Quibus verbis concedit Bernardus, Angelos fuisse per Christum preservatos ne laberentur: quo posito negari non potest quod per ipsum fuerint iustificati iustitiæ essentiali. D. Gregorius in cap. 2. libri primi Regum: *Nullus (inquit) hominum neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* D. Hieronymus in cap. 1. ad Ephesios de Angelis ait, quod *absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat creatoris adventum.* Unde & crux Salvatoris, non solum ea quæ in terra, sed etiam ea quæ in cælis erant,

A purgasse perhibetur: Ergo juxta Hieronymum Christi passione suâ meruit Angelis gratiam sanctificantem, alioquin non videretur quomodo virtute crucis dicantur purgati.

Ad locum D. Bernardi respondeo quod ibi loquitur de Christo, non ut homine, sed ut Deo, quoad Angelos, ut constat ex verbis antecedentibus: *Quoniam (inquit) qui erat Angelis sanctificatio, redemptio factus est nobis.* Supponunt enim verba illa, Christum, antequam fieret nobis redemptio, atque adeo priusquam fieret homo, factum fuisse sanctificationem Angelorum. Cum ergo dicit Bernardus, *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur.* solum vult quod per Christum, in quantum Deum, steterunt Angeli boni, sicut per eundem Christum, in quantum Deum & hominem, redemptus est homo lapsus. Eodem modo intelligi & exponi debet D. Gregorius, cum dicit quod *nullus hominum neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum;* hoc enim, quantum ad Angelos, intelligendum est de Christo, ut Deo; quoad homines verò de Christo, ut Deo & homine simul, seu de Verbo ut humanâ carne induro.

Ad locum D. Hieronymi respondet Vazquez disp. 49. cap. 5. *testimonium illud nullius momenti censeri debere, eò quod juxta omnium sententiam, manifestum errorem contra fidem contineat: tametsi non satis constet, utrum ex propria, an ex alterius sententia docuerit.* Sed hæc responsio temeritate non caret, sub dubio enim relinquit, an unus ex præcipuis Ecclesiæ Patribus (quem maximum Doctorem Ecclesiæ, & magistrum mundi D. Prosper appellat, ac instar lampadis ab oriente usque ad occidentem resplenduisse, affirmavit Augustinus) fuerit hæreticus, nec ne? Nec valet quod addit Vazquez, nimirum se existimare errorem memoratum non docuisse Hieronymum ex propria sententia, sed ex aliorum libris, nempe Origenis, aut Appollinarij, vel Dydimi &c. Nam hæc correctio errorem potius tribuit Hieronymo, quam ipsum defendat: si enim ex aliorum libris doctrinam illam desumpsit, & hæc (ut asserit Vazquez) manifestum contineat errorem contra fidem, culpabilis redditur Hieronymus, qui talem errorem docuit, licet ex aliorum libris; non enim licitum est errorem docere & adducere ex libris aliorum, nisi ad impugnandum.

Ut ergo à tam gravi injuria, maximum hunc Ecclesiæ Doctorem, ac totius orbis magistrum vindicemus, Advertendum est, nomen peccati dupliciter sumi: nimirum strictè, pro culpa morali; vel largè, pro quocunque defectu creaturæ, quo sensu monstra interdum vocari solent peccata naturæ. Hoc posito dico, quod quando D. Hieronymus dixit Angelos esse sine peccato, ipsamque Christi crucem eos à peccato purgasse, sumit peccatum non strictè pro culpa morali, sed latè pro alio defectu, nimirum pro nescientia mysterij Incarnationis, à qua crux Christi, sive Christus ut homo, purgavit Angelos, eos illuminando quoad mysterium suæ Incarnationis. Fundamentum autem ita explicandi mentem S. Doctoris habetur ex ejus verbis, exponens enim caput secundum Epistolæ citatæ ad Ephesios, dicit quod *omnis creatura Domini sui cruore purgata est.* Certè cum non omnis creatura sit capax mali morali, de illo non loquitur Hieronymus, sed de peccato, ut significat quemcumque defectum, subindeque idem dicendum est de peccato, à quo

in expositione capitis primi docuerat purgari Angelos per crucem Christi.

94. Obijciuntur tertio quædam S. Thomæ testimonia, quæ videntur repugnare nostræ sententiæ: nam S. Doctor super cap. 1. Joannis lect. 10. exponens verba illa Evangelistæ, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, subdit: *scilicet omnes Apostoli, & Patriarche, & Propheta, & iusti qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam OMNES ANGELI*. Et infra sic ait: *Plenitudo gratiæ quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis*. Item hic quæst. 7. art. 9. in corp. docet quod virtus gratiæ Christi se extendit ad omnes operationes & effectus gratiæ, quia Christus est primum & universale principium in genere habentium gratiam, sicuti Sol est universalis causa generationis rerum inferiorum.

95. Ad primum testimonium dicendum, S. Doctorem solum velle, omnes, etiam Angelos, de plenitudine Christi accepisse, quatenus varias illustrationes, & gloriam accidentalem, ex merito Christi habuerunt. Cum verò asserit, gratiam Christi esse causam omnium gratiarum quæ sunt in intellectualibus creaturis, & universale principium in genere habentium gratiam, hoc intelligendum est secundum distributionem accommodatam, nimirum quantum ad omnem gratiam, sive accidentalem, sive essentialiam, in hominibus: in Angelis verò, quantum ad omnem gratiam accidentalem, quam habent ut ministri Christi in salutem hominum. Et certè cum locis §. 1. adductis loquatur expressè D. Thomas de gratia & gloria essentiali, negetque Christum eas Angelis meruisse; locis verò in objectionibus contentis, non loquatur specialiter de illa gratia & gloria, sed de gratia ut sic, & in genere, standum potius est locis illis, quam istis; maxime cum ista possint, juxta expositionem traditam, explicari de gratia accidentali.

§. V.

Diluuntur argumenta ex ratione posita.

96. **T**riplici ratione insurgunt Adversarii contra nostram sententiam. Prima sic potest proponi: Christus est primus omnium prædestinatorum, juxta illud Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me*: Ergo est causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quam Angelorum, subindeque omnium effectuum prædestinationis illorum: Sed gratia est primus effectus prædestinationis Angelorum, gloria verò essentialis ultimus: Ergo Christus est causa tam gratiæ quam gloriæ essentialis Angelorum. Minor subsumpta, & ultima Consequentia patent, prima verò suadet ex illo communi axioma: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum*. Ergo si Christus sit primus omnium prædestinatorum, erit causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quam Angelorum.
97. Secunda ratio Adversariorum sic procedit: Gratia & gloria essentialis conferuntur hominibus prædestinatis ex meritis Christi, quia est caput illorum: Sed Christus, etiam in quantum homo, est Angelorum caput, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo etiam illis gratia & gloria essentialis ex meritis Christi conferuntur.
98. Tertia ratio est: Eadem videtur esse ratio de tota gloria essentiali Angelorum, ac de quocumque gradu illius: Sed aliquis gradus gloriæ essentialis

Tom. IV.

Angelorum (ille nimirum qui fuit præmium cor-respondens actui fidei quem Angeli adhuc viatores habuerunt in Christum ut consummatorem suæ gloriæ) dependet ex meritis Christi prævisis: Ergo & tota gloria essentialis illorum.

Hæc tamen rationes, licet aliquam probabilitatis speciem præferant, facile dilui possunt ex fundamentis quæ supra statuiimus. Ad primam enim respondetur, quod licet Christus sit primus prædestinatorum, non tamen eodem modo respectu omnium; nam respectu hominum est primus prædestinatorum, non solum prioritate dignitatis & perfectionis, sed etiam prioritate causalitatis & influxus, quia prædestinatus est ut illorum redemptor, supposita prævisione peccati originalis: respectu verò Angelorum est quidem primus, quantum ad perfectionem & dignitatem, & rationem communem causæ exemplaris; imò est finis eorum, secundum quod sunt præordinati ut ministrent Christo in officio redemptionis; non tamen est primus prioritate causalitatis & influxus respectu gratiæ & gloriæ essentialis Angelorum, cum non sit prædestinatus ut esset illorum redemptor, sed tantum per respectum ad gloriam accidentalem, quam Christus ut ipsorum caput in ipsos influit, ut articulo præcedenti declaravimus. Quando verò dicitur, quod primum in unoquoque genere est causa cæterorum, hoc debet intelligi de causalitate in aliquo genere causæ, vel efficientis, vel exemplaris, vel finalis, non tamen requiritur, quod sit causa efficiens illorum physice vel moraliter; homo enim v. g. licet sit primus in genere animalis, non est tamen causa efficiens cæterorum animalium.

Ad secundam rationem dicendum, non ex sola generali ratione capitis nos colligere omnes effectus nostræ prædestinationis procedere ex meritis Christi, sed ex habitudine capitis ad talia membra ejusdem naturæ specificæ, ad quorum reparationem principaliter venit Christus. Unde D. Thomas quæst. 29. de verit. art. 4. ad 3. ex fine Incarnationis, quia scilicet principaliter facta est ad liberandum hominem a peccato, colligit quod humanitas Christi ordinetur ad influendum in homines redemptos, ut ad finem principaliter intentum, non autem ad influendum in Angelos; nam influxus supra explicatus quo Angelos illuminat, & præmia accidentalia eis tribuit, non est finis Incarnationis, sed Incarnationem consequens, ut ibidem ait S. Doctor.

Dices, si Christus solum accidentaliter influit in Angelos, dona scilicet accidentalia, solum accidentaliter & secundum quid erit caput Angelorum, non verò absolute & simpliciter, contra testimonia Scripturæ articulo præcedenti adducta, in quibus absolute & sine addito dicitur caput Angelorum. Difficile etiam explicari poterit, quomodo prædestinatio Angelorum subijciatur prædestinationi Christi, ut consummanda & perficienda per ipsum.

Sed nego utramque sequelam, licet enim ad rationem capitis naturalis & physici requiratur quod vitam essentialiam in membra influat, non tamen ad rationem capitis morales & mystici, ut patet in Principe respectu Reipublicæ; unde licet Christus gratiam & gloriam essentialiam in Angelos non influat, quia tamen habet influxum in illos, tum secundum exteriorem gubernationem, tum secundum communicationem accidentalium donorum, potest simpliciter & absolute dici Angelorum caput; licet non omnibus modis, nec

D D d d